

032

030

036

026

041

021

081

131

Ende

Anfang

17

loca sancta absque superaedificatis aedificiis, et sine murorum ambitu, possint dici tabernacula, tamen sancti, tam veteris quam novi testamenti, super ea exerunt murata habitacula, in testimonium sanctitatis locorum. Sic legitur fecisse Abraham, qui aedificavit altare Domino, in loco, in quo ei apparuit Deus, Genes. XII. 7. Sic etiam fecit Isaac, Gen. 26, 25. Et Jacob C. 31. v. 1. 3. 7. Sic fecit et Josua, Jos. C. 8. v. 30, 31. Et Gedeon, Judic. 6. v. 24. Et Manoa, Jud. 13. v. 19. David etiam in loco, in quo angelus evaginato gladio apparuit, templum aedificari praecepit 2 Reg. ult. v. 25. Sic etiam cupiebat facere B. Petrus apostolus, in loco, ubi vidit Dominum Jesum transfigurandum in gloria, et Moysen, et Eliam in maiestate cum eo. Unde dixit: Domine, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum, Matth. XVII. 4. Eadem ergo ratione devotio fidelium aedificavit in locis sanctis Incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, et Spiritus Sancti missionis, et B. Mariae Virginis assumptionis ecclesias et capellas, et dicunt, hic tabernacula pastorum. Et quia terra sancta fuit in valde multis locis miraculis prodigiisque solemnizata, ideo in ea fuerunt valde multa tabernacula, i. e. templo ecclesiae, oracula, et capellae. (7A) Sed, pro dolor! accidit tabernaculis illis, sicut pastoribus et gregibus. Sicut enim jam, ut dictum est, non possumus sequi pastores et greges, sed tantum post gregum vestigia iubemur abire: sic etiam non possumus invenire tabernacula pastorum, nisi in miserandis ruinis. Utinam et illas invenire et cernere liceret! Sunt enim templo, ecclesiae, capellae, quae fuerant locis sanctis superaedificatae, pene dissipatae, ut dicere possimus illud Jerm. IV. v. 20: Tabernacula nostra vastata sunt. Aliquae ecclesiae solemniores sunt Christo dicatae, quae sunt ablatae, et maledicto Machometo datae; paucae sunt Christo servatae; Major tamen pars sunt penitus destructae, et in multis locis, in quibus scimus stetisse magnas et collegiatas ecclesias, nec ruinae iam deprehenduntur.

Sic ergo loco sancta dicuntur pastorum tabernacula, sive habeant superaedificata aedificia, sive non.

Quoad II. quid scilicet agendum sit peregrino in locis sanctis, dicitur: Et pasce hoedos tuos juxta tabernacula